# FIDES INDUBITATA

*Omnium Ordinum Regni*
Ad Kamionam
PROBATA. *

## Electionem Serenissimi Principis Poloniæ, Et Electoris Saxoniæ,

Ab inclytis Regni Poloniæ, &. M. D. Lithvaniæ Ordinibus,
*Ad mentem totius Reipublicæ*

## FACTAM.

*Anno Dni 1733. Die 5 Mensis Octobris.*

NEminem verè Patriæ & Libertatis amantem latere arbitror, Electionem Serenissimi Principis Regij, & Electoris Saxoniæ, in Regem Poloniarum, præmedita-

*Kamiona Campus Electoralis Ser. AUGUSTI III. Praga, vi annotationis Nominis significat Lapidem seu Petram.

ditatô conſilio, ac deliberatâ libertate, juxta legum præſcripta, à confœderata Republica, factam et peractam eſſe. Quinimò & Confœderationi Varſavienſi, tanquam baſi & fundamento rei innixam, ex infra dicendis patebit. Atq; ideo, retroactos ſæculorũ annales, centuriata Volumina legum volvere & revolvere, operæ pretiũ non eſt. In vos tantummodò manum verto, quibus placuit legem ferre, non obſervare. Quos aureô vinculö, verior Hercules Gallicanus, ad ſua traxit vota, non Confœderatio. Nos inquam fœdere Varſavienſi ac noſtro illigati, in plena libertate conſtituti, juxta ordinationem Reipublicæ, liberis votis, ac Superis ſuffragantibus, nemine contradicente, omnibus applaudentibus, Regem elegimus & nominavimus Sereniſſimũ Auguſtum III. Quod ut veriùs pateat, per-

ar-

articulos, ad id ſpecialiter ab inclytis Reipublicæ Ordinibus, Varſaviæ ſancitos, reſponſivè probabitur.

1mo. art: 10. fol: 2. *Pro firmamento & perennaturo in poſteritatem fundamento publicznego ſzczęśćia zakładamy ſobie, y przy tey Generalney Konfederacyi poprzyſiężoney fide, Honore, & conſcientiis obowięzujemyſię: że przyſzłego Krola Jmśći Pana naſzego, Prawdźiwego natione Polaka, y Rzymſkiego Katolika obierzemy &c.*
Pro firmamento, & perennaturo in poſteritatem fundamento publicæ felicitatis, pollicemur ad invicem, ac Generali hac Confæderatione, ſub fide, Honore, & Conſcientiis juratâ, obſtringimus nos, futurũ Regem Dominum noſtrũ, verum natione Polonum, & Rno-Catholicum, electuros fore &c.
Antequam reſpondeam ad hunc articu-

lū, & ſequentes, notandum eſt, omnem (ſi hactenus aliquis fuit) ſublatum eſſe ſcrupulum, per reſolutionem Romanam Theologorum, à Sactiſſimo Domino noſtro Papa Clemente XII. deputatorum, ſuper nullitate & invaliditate Juramenti, utpotè in præjudicium tertij facti, vi, & metu in virum conſtantem cadente, extorti.* Itaq; præciſò juramentò.

℞ Duo hæc: *Natione Polonum*, & *Rno-Catholicum*, in præſenti art: tanquam cardinalia: certiſſima reperiri, ac veriſſima eſſe in Sereniſſimo Auguſto III. jam dudùm ſæcula probarunt, in Sereniſſimo olim Rege Auguſto II, Parente ſuo deſideratiſſimo: ac inſuper ad caſum præſentem, per duodenos rivulos, Sereniſſimū Neo-Electum in venas Regio-Iagiellonicas, influere teſtantur in Schemate Ge-

ne-

*Vide de hoc reſolutio: Rom:*

nealogico recenter edito.* Unde non ero colligendis ad respondendum rationibus longior, cùm compertum sit, Serenissimum AUGUSTUM III. per vetustissimā, in Polonia lineā Regio, Jagiellonicam non esse degenerem à Piasto. Religionem verò in Principe Rno Catholicam, Phænicem sæculi, septemtrio noster, & rari pretij in Corona, pietatis gemmam veneratur. Nec obest quidpiam Ejus Electioni, quod indebitè in Confæderatione apponitur; *ex utrisq; Parentibus Orthodoxæ Fidei.* Novum enim hoc inventum, libertati injuriosum, nec visum priùs, nec auditum unquam, minimè repugnat legi communi & Cardinali Reipublicæ: *REX Catholicus esto.* Non enim Respublica sollicita est de fide Parentum, sed Regum suorum, inter quos jam probè nöstis in

Sere-

**Vide schema Genealogicum, Propositionibus Ser: Neo-Electi, adiectum*

Serenissimo AUGUSTO II, fidem indubitatam ac infallibilem: quam dietim propriis meritis Virtutibusq; auget & adornat, Serenissimus AUGUSTUS III. Nec benè sonat, quod dicitur: *Rex futurus eligendus, qui nulla dominia & exercitum extra Regnum habeat.* Ignoscite (ut verum fatear) vos in hoc puncto aut deliquisse, aut certè publico privatum prætulisse bonum.

Rex etenim, quicunq; ille sit, Poloniæ, per pacta conventa, sacrosanctô se obstringit vinculô: quod Regni limites extendet, avulsa recuperabit &c. ad quod certè milite opus est, non miraculô. Cessabit inopia, qua hucusq; laboramus, & cum ignominia Nominis Christiani, cogimur recurrere ad Paganos, Turcas, & Tartaros auxiliares. Nec aliena mendicabimus arma, si propria habebimus, quæ

Sere-

Serenissimus Electus, in casu necessitatis, ad vota & tenorem desiderii Reipublicæ, sine gravamine suppeditare declarat. *

2do. art: 12. fol: 3. *Tudźiesz przy wolney Krolow y Panow naszych Elekcyi, substancye, y zdrowia nasze łożyć, przez tę Konsederacyą naszę przyrzekamy sobie.* Itaq; pro libera Regum & Dominorum Nostrorum Electione, vitam & substantiam nostram consecrare, hac Confæderatione pollicemur ad invicem.

℞ Quis non ingenuè fatebitur? vos Togatos Reipublicæ Patres, legum vindices acerrimi, & liberæ vocis arbitri observantissimi, fortunam & Substantiam Vestram, integritati Patriæ consecrâsse? flocci penditis totum: purpuram appretiâstis sangvine, vitâ libertatem, & ne quid-

* *Vide de hoc Propositio: Ser: AUGUSTI III. ad Rempublicam*

quidquam liberæ Electioni detraheretur, odistis *Wolam** ubi nullun velle fuit, ubi non libera suffragia, sed vox refragaria Regem proclamavit insolenter. Contra quem publico ore protestati, *plus ultra* fiximus metam Consiliorum nostrorum, ne liberum in nobis suffocaretur veto, & simul caderet cum vita libertas.

3tio. art: 14. fol: 3. *A inaczey na żadnego Pana niemámy pozwolić, jedno Ktoregobyśmy przez wolne suffragia, nemine contradicente zgodnie obrali.*

Nec aliàs ullum permissuri sumus Dominum, nisi quem per libera suffragia, nemine contradicente concorditer elegerimus.

℞ Illi inquam, Viri Sapientes verè Patres Patriæ, pro tuendo libero veto, diu noctuq; studuistis indefessi, ne præjudicium

*Sic vocatur Campus Electoralis ad Varsaviam, quod ex annotatione nominis significat Voluntatem.

ciúm fieret legum. Ne prius ullus Rex nominaretur, niſi in quem liberæ quieſcerent voces, non impoſitæ. Docuiſtis contra imperitorum opinionem: unum non ſufficere ad pervertendas omnium mentes, ſed quòd Univerſi ad reprimendam unius pertinaciam ſufficiant? probaſtis ad Kamionam.

4to. Art: 15. fol: 3. ſeriò cavetur, ne Celſisſimus Princeps Primas ad nominationem acceleret, ante trinam interrogationem factam de conſenſu omnium.

*J niewprzod J. O. Xiąże Jmść Primas do nominacyi przyſtąpi, aż pierwey po trzykroć ſpyta, ieżeli ieſt wſzytkich conſenſus.*

℟ Veneror hoc loco in profundiſſima Veneratione *Jllmū Excell: ac Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum Poſnanienſem*, verè Libertatis Statorem. Qui ordine & votò fraternö, in abſentia *Jllu-*

*strissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi* Kujaviensis, Primatiali functus Dignitate, ad amussim legũ & exemplum aliorum, præmissâ, de liberrimo sensu & consensu omnium ordinum, trinâ interrogatione, nemine contradicente, Regem Serenissimum AUGUSTUM III. Poloniarum nominavit, omnibus applaudentibus. Et paulò post additur in eodem art: *A ieżeliby kto bądź z Rad tak Duchownych iako y Swieckich, albo Urzędnikow Koronnych y W. X. Litt: et ex privatis personis, ważył się nominować sine unanimi consensu omnium ordinum, tedy Każdego takiego pro hoste Patriæ mieć chcemy.*

Et si quis tam ex Spiritualibus quàm sæcularibus Senatoribus, sive Officialibus Regni & M. D. Litv: & ex privatis personis, auderet nominare sine unanimi consensu omnium ordinum, tunc

qui-

quivis talis pro hoste Patriæ habendus est.

℟. Cùm ex hactenus dictis, sat clarè omnibus pateat, nos amore, zelô, & fraternô unitos nexu, in unione animorum, & unanimi consensu omnium ordinū, Regem elegisse & nominâsse, non nos hæc lex afficit concordes, sed scissos & avulsos Fratres à Republica benè sentiente. Quorum proinde interest recta sapere & intelligere, ut benè agant.

5to. art: 18. fol: 4. *Na Każdego gwałtownika Praw y wolności naszych tak dawnych (Ktore wszystkie reassumuiemy) iako y na teraźnieyszey naszey Konfederacyi postanowionych, wszyscy powstaniemy, y poki zdrowia, substancyi, y krwie naszey stanie, oponować się będziemy.*

Contra quemvis violatorem legum & libertatum nostrarum, tam antiquarum (quas omnes reassumimus) quàm & in

præſenti noſtra Confæderatione ſancitarum, inſurgemus, & opponemus nos, quousq; vita, ſubſtantia & ſanguis nobis non deficiet.

℞ Hinc Gloriæ veſtræ *Patres conſcripti ac ordines inclyti Reipublicæ Confæderatæ*, ſæculorum manebit fama, quod contra violatores legum, libertatis Defenſores extitiſtis, quòd periclitantis Patriæ tutamini, & ejus curæ ita ſtuduiſtis; ut mortem cum libertate conjunctam adamaretis: odioq; vitam cum ſervitute haberetis. In id unicè omnem operam ac induſtriam veſtram impendiſtis, ut contra quosvis liberi veto oppreſſores, libertatis jura propugnaretis illæſa.

6*to*. art: 23. fol: 5. *a ta Elekcya trwać ma iáko naykrocey, y ieżeliſię prędzey nie ſkończy, tedy żadną miarą niema excedere czáſu Seymom ordinaryinym na-*

*zna-*

*znaczonego, to ieſt ſześciu Niedziel.* Et hæc Electio duratura eſt quàm breviſſimè, nec ullatenus excedere debet terminum, alias comitiis ordinarijs ſolitum,, nimirum ſex ſeptimanarum.

℞ Ad id verificandum, nec Geometris nec Arithmeticis opus eſt, Conſtat enim id ex 5ta Octobris ſacroſanctè in termino ſex ſeptimanarum, ab omnibus Ordinibus Regni, præfixo, auſpice Numine feliciter peractum eſſe.

7mo. art: 27. fol: 6. *mieyſce Elekcyi Zwyczayne między Warſzawą y Wolą &c.* Locum alias Electioni ſolitum, inter Varſaviam & Volam aſſignamus &c.

℞ Quod in tempore (ut præcedenti articulo dictum eſt) ad locum alias Electioni Regum Poloniarum ſolitum, non pervenerimus? veſtrâ culpâ hæc acciderunt non noſtrâ. Eſt Viſtula teſtis,

ſunt idem & tormenta bellica, quibus libertatem vulnerâſtis, non tamen occidiſtis. Quam violentâ manu *à Vola* malæ voluntatis, ad liberioris auræ *Kamionam** repuliſtis. Ubi DEO ſic ſtatuente, fatisq; id decernentibus, veluti ad Lydium lapidem, morum integritatem, fortitudinis conſtantiam, ac animi robur in Principe probavimus omnes: Hunc dignum eſſe Regem *Antemuralis Chriſtianitatis*, quem DEUS ab æterno elegit, & præelegit virum fortem & Saxeum, Sereniſſimum AUGUSTUM III. Quod felix fauſtumquè ſit.

Hoc poſitô: recolligite in compendio dicta: in verbis veritatem, in opere colligite fidem; quâ hactenus ex Generali Confæderatione Varſavienſi probatum manet: Electionem Sereniſſimi AUGUSTI III. legibus antiquioribus & novellis

* *Vide concordantiam folij primi.*

Rel-

Reipublicæ conformem, ad tenorem omnium ordinum Regni ( à quo nec pedem excessimus ) liberis suffragiis, nemine contradicente, in tempore & loco, (ob dicta art: 27. n:7. ) debito & practicato: nullis obnoxiam novitatibus, antiquâ formâ & praxi Reipublicæ; factam & peractam esse, *Moribus antiquis res stat Romana, Viriq́;.*

Contra verò, actum fuisset de nobis & Libertate nostra, ni dexter Dei Digitus, naufragantem inter Scyllam et Charibdim Civium animorum, aliter direxisset Rempublicam. Quam turbida ingenia, consilia violenta eò impulerunt, unde eversionem status, Respublica jacturam, nonnisi sperare potuit, nisi providis vobis Amiralibus, sub perito Regni Navarcho, ad Promontorium bonæ spei provecta fuisset. O! res mira & scandali

ple-

plena, ubi rationi voluntas, violentia *veto* opponitur. * Ubi ſub ſimulata libertate, pro ratione agendi, mandatum imponitur liberæ Genti, hunc non alium &c.

Nec valet, ſi dicas: hanc Electionem non fuiſſe ad mentem Reipublicæ, ideo, quia Aſſeclæ Staniſlai illi non interfuerunt. &c.

℞. imo: nihil horum abſentia, Electioni Sereniſſimi Neo-Electi, præjudicat, utpote muta ſimulacra loqui neſcia, ut conſtat ex Art: 20. fol. 4 *Wzywaiąc do niey wſzytkich ſtanow Rzeczypoſpolitey* ( *exceptis jure victis* ) Et quoniam per art: 15. n. 4. oſtenſum eſt; omnes, qui ſine unanimi conſenſu omnium ordinum nominârunt Staniſlaum, hoſtes Patriæ eſſe, ideo ipsô factô, jure hoſtilitatis ſunt victi, ac per conſequens incapaces votandi pro Rege. ℞.

℞. 2do. Quando in Confœderatione prohibetur, Regem nominare ſine unanimi conſenſu omnium, intelligendum eſt de conſenſu omnium præſentium, non abſentium, qui ubiq; voce carent, Ergo minimè abſentia Staniſlaitarum irritat conſenſum omnium noſtrum.

Quamobrem, *cùm tempus habetis, operamini ſalutem* cum illis, quorum gravitaté, conſtantiam, fidem præſtantem, in Republica tuenda curam atq; prudentiam, omnium mortalium ſama celebrabit. Deſiſtite ab hoſtilitate, quam incurriſtis per nominationem Stanislai, & accedite nobiscum ad unionem, & amicitiam fraternam. Recedite à malo, & *convertimini ad Dominum*; qui ex innata ſua clementia, *primo clementior ævo*,* plenariam vobis indulget veniam. Ea etenim eſt Principum maxima, *parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.* * Reddite ei vitam, à quo

* *Claud:* * *Virgi:* ſalus

ſalus noſtra pendet. Cui ſi in tempore denegabitis homagium, actum erit de nobis, actum & de vobis: pro quibus, ſubſtantia noſtra pænam luere debet, ſine peccato. Ite in adorationem & recognitionem Supremi Dominij Sereniſſimi AUGUSTI III. Atq; ad communem hodie nobiſcum, poſt jurata *Pactorum conventorum* ſponſalia, pergite lætitiam, feſtivis vocibus unà nobiscum intonando:

**VIVAT AUGUSTUS III. DEI Gratia Rex Poloniæ & M.D.L.**